



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

S. Benno Ex Regia Principvm Bvrgvndiae Stirpe Canonicvs Argentinensis,
Secvndvs Heremi Incola, & postea Mediomatricum Episcopus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



S. BENNO EX REGIA
PRINCIPVM BVRGVN-
DIAE STIRPE CANONICVS ARGEN-
TINENSIS, SECVNDVS HEREMI IN-
cola, & postea Mediomatricum
Episcopus.

SVB BENNONIS aduentum Cella S. MEGIN-
RADI ætate, & incultu, temporumque iniuriâ,
& solitudine loci fermè dilabebatur, Sacellum-
que religio magis, quàm tecta tuebantur, cetera
circum sentibus, & arbutis aspera, & densa pror-
tus ad pristinam vastitiam penè cuncta redierant. Igitur vbi
BENNO loci ingenium satis perspexit, situsque ex opportu-
nitate Cænobio idoneum maximè iudicauit, ad Comites
Raperuillanos, in quorum Dominatu tota solitudo erat, te-

C 2

tendit,

tendit, utque eorum beneficio, & consensu eam colere, & mansuefacere liceret obtinuit. Ita Sacellum primo instauravit, mox S. MEGINRADI cellam habitamentis adauxit, pluresque eò amicos, & familiares incolendæ, & frequentandæ Heremi invitavit, & perduxit. Vicina hinc perpurgare orsus, erutis, & exustis arborum, & truncorum radicibus, campum fatum amplum, vulgò Bruel nunc vocant, patefecit. Obiectum pariter montem, quem ex eius vocabulo Bennau posterius nuncuparunt, cultus patientem reddidit. Nihil denique intermisit, unde solitudinis asperitas mitesceret, & incolendi desiderium cresceret. Anno nongentesimo septimo Benedicto III. sublectus Leo V. nostri ordinis, sed quæ sede, & dignitate quadragesimo die exiit Christophorus quæ maximis honoribus cumulauerat. Mox tamen Christophorum quoque Romani expulere, subrogato, anno sequenti, Sergio III. Anno nongentesimo nono, Hungari qui hæctenus cum Bauaris, Francis, et Thuringis luctati, magnas sæpe clades acceperant, dederantque, in Allemāniam progressi sunt, eamque magnam partem populauerunt. Sequenti anno, cum sedem Apostolicam per vim Sergius triennium occupasset extinctus est, & Anastasius III. Pontifex creatus. Anno nongentesimo undecimo, cum iam maximam de se spem fecisset Cæsar Ludouicus, immatura morte sublatus est, ætatis octavo & decimo. Cum eo desijt in Germaniâ Caroli M. stirps mascula. Et dubium non erat quin jure hæreditatis regnum ad Carolum Galliæ regem, cui ex moribus Simplici cognomentum fecerunt, perveniret, sed Germaniæ proceres, Fritislariensi conventu, cum illi vix animus, aut ingenium, auctoritasque Gallicis rebus moderandis adesset, metusque ex Hungaris fortiorem rectorem exposceret, Cunradum Cunradi F. Franciæ Orientalis ducem, Hefsiæ, et Veterouïæ Comitum prouincialem, qui ex Ludouici regis sore genitus, ex sanguine Caroli M. eam partem erat, regnare iusserunt. Eodem prope tempore Burcardus I. Allemanniæ dux dum suorum conventum celebrat, per tumultum obtruncatus est. Erchingus, cuius fraude cecidisse crediderunt, et maximas opes vtraque Acronij ripa, Bodmæque palatio

regio

*A. D. N.**CCLV.
VII.**A. D. N.**CCLV.
VIII.**A. D. N.**CCLV.
IX.**A. D. N.**CCLV.
X.**A. D. N.**CCLV.
XI.*

regio propter eundem lacum, sedem habebat, Ducatum invaluit. Anno nongentesimo duodecimo Cometa præclarior solito effulfit, translatis, aut mutatis documento Imperij, an Rudolphi I. Burgundiæ regis nuncius mortis, qui insigni virtute, & fortitudine proavatum Burgundiæ regnum restituit, & ad posteros feliciter transtulit. Erat Cunradi filius, Hugonis nepos, qui Ducatum Ligerinum, nunc Aurelianum vocant, post Robertum Fortem adeptus, magna laude administraverat, insigni dum vixit in regno Galliæ auctoritate. Rudolfo successit Rudolfus II. F. Et Hungari in ita apud flumen Aenum cum Bauaris, & Allemannis pugna, magna clade repressi sunt. Eodem anno, Anastasio successit Cando, quo modico interjecto tempore terris, & dignitati subtracto, nominatus Pontifex Ioannes X. Anno sequenti, Hattone Maguntiacensis Archiepiscopo, & Augiæ abbate defuncto, substitutus abbas Hugo. Anno nongentesimo decimo quarto, Christi dies natalitios Cunradus Cæsar Constantiæ apud Salomonem egit. Inde Arbonam, & ad D. Galli monasterium, cuius Salomon etiam abbas erat, concessit, & in religiosorum numerum, suffragiumque inferi voluit, bona quæcunque Stamheimi imperialis juris supererant, nam aliam partem multo ante Carolus Crassus Imper. largitus erat, Monasterio consignavit. Erant iam ante Erchingo, & Berchtoldo eius fratri, priusquam Allemanniæ Ducatum occuparent, crebræ cum Salomone de iurisdictione contentiones, gratiamque ab Arnulpho eiusdem Episcopi precibus obtinuerant, sed posteaquam à Cæsare Stamheimensem accepisse vicum, quem sibi vindicabant, & arce supra condita, obtinebant, tum verò multo acrioribus aduersus eum odijs exarsere. Et forte obuiam factus de iniurijs cum quereretur, & regiâ donatione nixus res repeteret, multis contumelijs oneratum, cum parum abfuisset, quin gladio Luitfridus Erchingi nepos trajecisset, in vincula ad Dietboldi burgum Algoiæ opidum abripuere. Eo in opido agitabat Berchta Erchingi coniunx impotens, & multâ superbiâ femina, Salomoni ante omnes infensa, & ideò visum uti ad eam maximè abduceretur, quæ non solum accu-

*A. D. N.**CCLD.**XII.**A. D. N.**CCLD.**XIII.**A. D. N.**CCLD.**XIV.*

ratius custodiret, sed etiam ex animi arrogantia, & ira acerbius haberet. At illa ubi perpetratum facinus accepit non modo indoluit, & certum domus inde suae exitium adfirmavit, sed Episcopum humaniter acceptum, quam honorificentissime pertractavit. Fratres haut ignari futuri, primo Duelli Hergouiae castrum munitissimum, dein & ceteras arces vicinas praesidijs, & comitatibus firmavere, factoque milite in armis eventum expectavere. Tertio postremo die nuncius de patris captivitate ad Sigfridum egregiae virtutis iuvenem perlatus est, & is subita manu gnarus duces negligentius se habere per insidias de nocte hostes incautos oppressit, multos cecidit, Erchingum, Berchtoldum, & Luitfridum cepit, & recta Dietboldi burgum deduxit. Iam ad Berchtam de suorum clade fama pervenerat, multisque precibus ab Salomone contenderat, sui beneficii memoriam teneret, parceret etiam mariti temeritati, & iniurijs, promisitque omnia, quae integritate erat, episcopus. Igitur adveniendi cum captivis Sigfrido obviam profecti, & habito utrimque colloquio, cum ducibus Salomon, quantum in se fuit, veniam ultro iniuriarum fecisset, magna omnium laetitia, & congratulatione V. Kal. Septembres reuersus est. Sigfridus suos esse captivos dictitans, neque, nisi Caesaris voluntate, quem non minus offenderint, soluturum, Duellium, quod se subito post Dietboldi burgum dederat, transportavit, Berchtam cum mundo muliebri ad suos deducta. Hugone eodem anno mortuo, Thietingus Augustiae praefectus. Anno Nongentesimo decimo quinto, Cunradus audito quae cum Salomone euenerant, perspectaque fratrum, & nepotis tyrannide, quibus ob Allemanniae Ducatum jam haut minimum infestus erat, conuentum Maguntiacum indixit, principumque sententiam super admissio facinore perrogavit. Maiestatis condemnati omnium suffragijs, bona vniuersa beneficiaria, & haereditaria confiscata, frustra proisdem clementiam regis, & iudicum deprecante Salomone. Habiti post hanc sententiam, & ante quam supplicio adficerentur, diu tamen in eadem Duillensi custodia. Heremi per-purgandae, & excolendae, illustrandaeque nauiter interea BEN-

A. D. XC.
 CCLD.
 XV.

NO incumbere, pluresque ad vitam solitariam suo exemplo attrahebat, sed quia situs admodum asper, & horridus, omnisque melioris arboris infæcundus erat, antistitã Sanctionensem accessit, & ab eã Vfnouiam lacus Tigurini infulam vicinam, & amœnam beneficio perpetuo impetrauit. Eam mox omni felici arbore, & elegantiori cultu expoliuit: fructus, & cetera inde emolumenta Cellæ S. MEGINRADI, seruato nihilominus Sanctionensis Ecclesiæ jure omni beneficiario, dedit, & consignauit. Idpostea jus beneficiarium Otho I. Imp. redemit, & HEREMITIS concessit, eius loco alias possessiones Sanctionensibus attribuit, beneficium, & vsum, in dominium vertit, vt postea videbimus. Loci religionem, & BENNONIS propinqui amore, eodem tempore, excitatus Adelbero Basiliensis Episcopus ad MEGINRADI cellam & ipse inuisit, probatoque eius maximo opere pietatis studio, & cura illustrandæ solitudinis, quo magis impensæ suppeterent, & in propinquum, Cellamque venerationem suam testaretur, Sierns Elfatia Superioris nobilem vicum hæreditarium BENNONI, & eius loci successoribus proprium fecit, quidquid in eo juris ab maioribus habebat liberè, & munificè resignauit, Cellæ S. MEGINRADI perpetuum esse iussit. Huc etiam BENNO quæcumque ab parentibus acceperat contulit. Et hæc quidem S. MEGINRADI Cellæ incrementa prima, & firmamenta exstiterunt, principes isti benefactores, & liberales, pijque fundatores, & inde, et postea HEREMI frequentia, et facultas copiosior, et maior fuit. Thietingo successit in Augiã Heribertus. Anno nongentesimo decimo sexto, posteaquam Cunradus capitis damnauit cum fratre, et nepote Erchingum, Allemanniæque, quem occupauerat, Ducatus sine ductore fuit, cum prouincia per incerta imperia tumultuaretur, nec esset qui compescere posset, aut auderet, et postremò omnes certum præsidem postularent, Allemanniæ ducem nominauit Burcardum eius nominis II. Rhetiæ Curienfis Comitem, illique super imperialem in Allemanniã jurisdictionem, & dominium quidquid Erchingo, & eius factioni beneficij, aut proprietatis fuerat cõcessit, dote, & patri-

A.D.N.
CCLD.
XVI.

A. D. N.

CCLV.
XVII.

monio Berchtæ Erchingi coniugis receptis. Præfuit Allemannia annis x. Atque is fuit, qui Allemannia Ducatum, quem ante ipsum ceteri duces titulo magis, quam possessione, aut iure tenuerant, in eximium splendorem euexit, multaque potentia stabilivit. Eius coniunx Regulinda fuit insignis ætate, & virtute femina. Erant per ea tempora præcipui Germanici Imperij duces, & principes Henricus Saxonie, & Thuringie Othonis F. Eberhardus Franconie regis Frater, Burcardus, de quo diximus, Allemannie, Arnoldus Bavarie, Gisbertus Lotharingie. Anno nongentesimo Septimo decimo. Et si nullas intermittebat interea Salomon Episcopus preces, quibus Erchingi, & ceterorum liberationem procuraret, totusque in eo esset, adhibito etiam in parte duce Burcardo, & tertium iam annum viuos retineret, tamen Cunradus incorruptus iustitie patronus, & quia plura alia principum eorum præter dignitatem, & imperij decus admissa, memoriâ retinebat, sententiam procedere iussit, ductosque ad villam Endingam Erchingum, Berchtoldum, & Luitfridum plecti capite imperavit xii. Kal. Februarij. Excisa postea funditus Bodma arx, & palatium, et si quæ eorum firmiora, aut insigniora monumenta, aut munimenta erant, & quæcunque eorum nomen, aut memoriâ referrent abolita. Super ea quæ memorauimus, arcem Bodmensis rex peroderat, quod in ea Varinus, & Luithardus quondam D. Othmarum primum S. Galli abbatem multis cruciatibus adfecerant, & denique infulâ Veneti lacus, vocabulo Voerd, incluserant, multaque infanda, nefanda in sacri Ordinis viros, tamquam è fonte, promanarant. At Hungari primo in Bavariam vastabundi irruerunt, obuiamque deinde in Allemannia factum Ulricum Buochhorni Comitem magnæ fortitudinis, & opulentie, illâ tempestate, virum, suis omnibus interfectis, ceperunt, & in Hungariam captiuum miserunt. Hinc ultra progressi, & victoriam secuti pleraque diripuerunt, aut incenderunt. Rhe-no quoque superato, Basileam urbem nobilissimam, cum plerique incolarum in montes, & silvas aufugissent, subiectis ignibus inflamarunt, ingenti prædâ in Hungariam redierunt.

Vindil-

Vindilgardis Vlrici coniunx, marito tanquam prælio interfecto, etsi plures ob formam, et virtutem matrimonio appetent, viduitatem vouit, et ad S. Gallum cum Adelhardo vnico filio concessit, ab Salomone sibi prope S. Vibrodæ cellulam habitatiunculam ponere, vitamque Deo viuere, positâ, et abiectâ rerum humanarum curâ, liceret, obtinuit, velumque continuo sumfit, Adelhardo ad agnatos, qui curarent, remisso. Anni nongentesimi decimi octauo initio, quia ex principum antè dicto supplicio dolor perpetuus Salomonem excruciat, veluti eorum exitij causam ferret, tamquam expiaturus Romam abiit, multaque animi demissione ab Ioanne pontifice culpæ, si quam in eâ nece haberet, gratiam orauit. Pontifex non solum humaniter accepit, sed S. Pelagij Martyris insuper sacris reliquijs, quia eo die ex custodiâ Dietboldi burgi egressus erat, victoriamque de hostibus tantam reportarat, honorauit, quas summâ veneratione Constantiam detulit, & inter Episcopatus Diuos tutelares S. Pelagium inferi voluit. Hungari rursus Allemanniam, Elsatiam, Lotharingiam solitâ insanîâ populauerunt. Accessit principum contra regem rebellio, concitato maxime Burcardo duce, qui accepti ab eo beneficij, & dignitatis ingratus Giselbertum, Arnoldum, Heinricumque sollicitauerat. Hos is prudentiâ iuxta & fortitudine, profligato primo Arnolde, Giselberto ad officium reuocato, facile in ordinem redegit. Sed cum sibi ex valetudine vitæ, & imperij adesse postrema persentiret, nec mares filij essent, anno sequenti, primoribus, qui tum aderant, postposito priuato odio reipubl. & Imperij dignitati, auctor fuit Heinricum Saxonem, regem dicerent, cuius fortitudinem, & integritatē, quamquam in inimico, præ ceteris prædicabat, & admirabatur, accitoque fratre Eberhardo, continuo illi regni insignia, quæ ad Saxonem deferret, tradidit. Ipse Kal. Iulij extinctus est. Proceres, probato eius consilio, Heinricum comitijs Fritislariensibus regem salutarunt. Cognomentum illi Aucupis additum, quod ornamenta regia deferentes inter aucupium ex inopinato reperissent, siue quia eo maxime oblectabatur. Discesserat multo ante, Nonis scilicet

A. D. X.

CCLD.
XVIII.

A. D. N.

CCLD.
XIX.

Ianuarij

Ianuarij Salomon Constantiensis Episcopus, & S. Galli abbas, egregiæ apud reges quatuor Carolum Crassum, Arnulphum, Ludouicum, & Cunradum, & ceteros principes auctoritatis, & æstimationis. Præfuit Episcopatu, uti & abbatiæ annos xxx. quo tempore erant in monasterio monachi presbyteri xlii. Diaconi xxiv. Subdiaconi xv. Nouitij x. Sed præter S. Gallum multa alia monasteria administravit Campodunum, Fabariam, Eluangam, alia. Eius adhuc ingenij præclara extant monumenta in bibliotheca nostra, S. Galli, & Constantiæ. In Episcopatu successit Nothingus. Ceterum ubi Cunradi excessum Rudolfus Burgundiæ rex accepit, Turgouiæ, quæ Heluetiæ pars quarta, & in qua Heremus, ducatusque Allemanniæ est, reliquis tribus, quas possidebat, adijcendi spe, continuo in Allemanniam duxit, Vitodurumque antiquissimum Turgouiæ opidum obsedit, expugnauitque. Illum Burcardus dux obuiam profectus cum valido Allemannorum exercitu non modò ab obsidione remouit, sed aciem ausum profligauit, & in Burgundiam repulit. Hac victoria Burcardus elatior, & quasi virtute, & opulentiâ regibus par, aut potior, Heinrici Imperium detrectare, eum præ se aspernari, militemque in armis continere, alios quoque principes in partes trahere cæpit. Sed cum omnium erga Saxonem fauorem, & consensum, maximum etiam exercitum contra parasse videret, præsentia, & certa, futuris, & incertis postremo ante habuit: Heinricoque obsequium, & fidem promisit Vormatiæ, præsentibus Herigero archiepiscopo Maguntiacensi, Adeluardo Episcopo Vormatiensi, Richuino Argentinenfi, Valdone Curiensi, Thietingo Constantiensis, Vlrico Comite Rhetiensi, & in primis Rudolfo Burgundiæ rege. Henricus, ut eadem operâ Rudolfum, & Burcardum reconciliaret, huic auctor fuit regi tradendæ filiæ Berchtæ, Rudolphumque adfinitate deuinciendi. Quod & perfecit. Regiæ nuptiæ magnâ frequentiâ principum ibidem celebratæ. Anno nongentesimo vicesimo secundo Henricus Hungaros Bauariam, Allemanniam, Saxoniam etiam vastantes, cum se voto Simoniacam hæresin, si victoriam reportasset, extirpa-

A. D. M.
CCLD.
XXII.

turum

turum obstrinxisset, propè internicione deleuit apud Meresburgum. Eodem anno contra Berengarij tyrannidem vocatus est in Italiam Rex Rudolfus, qui eà, profligato prælio hoste, breui potitus est. Anno nongentesimo vicesimo quinto Vitgerus Mediomatricum Episcopus vitâ sepultus est, singulari integritate, & virtute, & ob id ciuibus suis, quos temporum licentia, & petulantia, luxusque corruerant, inuisus, & offensus. Electionis participes cum omnia circumspexissent, sanctitate, eruditione, & exemplo, nobilitatis quoque splendore Episcopatus qui præclarius præesse posset BENNONE potiorē reperere neminem. Ipse, cum qui aduenerant legatis aliquandiu restitisset, quippe qui seideò ad Heremum transisse adfirmaret, vt procul ab strepitu, & hominum consortio, contagioque vitam quietam, & puram viuere posset, postremò, relictis qui interea S. Meginradi Cellam, & DEIPARÆ Sacellū curarent, & attributis ex Vfnauigia & Sirnicio ad vitam tolerandam necessarijs, inuitus, & obluctans ad ciuitatem Mediomatricum delatus est, cum jam nonū & decimum Heremum incoluisset annum. Frodoardus auctor est Heinrici Cæsaris auctoritate Episcopatus præfectū. Eodem anno Burcardus Dux in Italiam genero opē contra rebelles Italianenses profectus Hungarorū sæuitiæ vacuam prouinciam reliquit. Illi relictâ ad eius discessus nunciū Augustæ Vindelicorum obsidione, in Allemāniam properarunt, & primò Buochornium tentarunt. Quod vbi frustra euenit, ad S. Gallū digressi sunt. Aufugerant cum Engelberto abbate plerique in arcem propter amnem Sintriam in Abbatis cellanorū regione sitam, carioraque eo comportarant, illam armis, si hostes oppugnant, defensuri, debiliores Vassenburgum dimiserant. Hungari Monasterium expilarunt, Viborodam virginem quæ in suâ cellulâ inclusa orationibus, & diuinis exercitijs intenta remanserat, nec vllò inde modo remouere se voluerat, martyrio adfecerunt. Constantiam inde recesserunt, suburbia incenderunt, reliqua peruastarunt, Augiam quoque diripuerunt. Anno nongentesimo vicesimo sexto Burcardus copias cum Rudolfo genero coniuncturus Mediolano Nouariam versus

discessit;

A. D. N.

CCLV.

XXV.

A. D. N.

CCLV.

XXVI.

discessit; Sed confidentius, an incuriosius, siue neminem sibi obistere posse, aut audere præsumebat, quam hostium fraudes, & insidiæ suadebant. Itaque aliquantum progressus in manum rebellium incidit, qui de improviso invasere, fortiterque repugnantem, suffosso equo, interemere, pluribus utrimque desideratis. Reliquit Burcardus ex Regulindâ Burcardum filium admodû puerum, & quam diximus, Berchtam. Memorant vetera nostri monasterij documenta alium quoque Regulindæ ducissæ filium fuisse Adalricum, siue Alaricum, qui, hoc tempore, Eremiticam in Aufnauu lacus Tigurini insulâ vitam viuebat, de quo memorabilia Hepidanus priore libro quem de beata Vuiborada Virgine composuit, quæ paullo ante, ut notauimus, martyrium subierat. Cum enim eiusdem beatæ Virginis virtutes egregie celebrasset, quoque postremo eam modo Salomon Episcopus Constantiensis apud S. Gallum incluserit, adiungit. *Quali igitur parsimonia quatuor per annos inibi se affecerit loqui arduum videtur, quia ubi de magna virtute, atque gloria bonorum memores, quæ sibi quisq; facilia factoputat, æquo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit. Erumpet tu queso potius, Alarice serue DEI: dic quid caput Ecclesia preceperit te demandare membro suo. Cur me, frater, ea attemptare cogis quæ tu, ut conyicio, videns quosdam iuxta Apostoli presagium à veritate auditum auertisse, aggredi detractas. Mibi, domine mi, ut nulla virtute prædito loquenti virtutes discredunt: respersi verò dulcedine tuæ sanctitatis libentes tibi præbent auditum. Nam es maioris potentia visus gener Arata regis Baptistam sciens virum iustum, es sanctum, non solum eum libenter audiebat, verum etiam eo audito multa faciebat. Papa! cessent, obsecro, graua exempla. Nam quamuis ad loquendum confortent, nobis tamen minoribus multum est audire ad comparationem summi in natis mulierum, neque vulgus urbanè nescius loqui audet conscendere. solum tetrarchæ, nisi quod utrobique in hac apologia tutis auribus depono, propter detrahentes, consului, quibusque exemplis cessantibus, agnoscere me hic debitorem eius promendæ sanctitatis, quod*

Dominus

Dominus diuine illius congregationis me primum post se dignatus est intimum eligere. Ego Adalricus minimus seruorum Christi decreui me pro eius nomine in quadam insula Turicini lacus solitarium persistere. Ergo, me inibi consistente, quadam nocte, Quid me cogis frater loqui, quo me indignum hæc audientes possunt reputare: angelico adfatu huiuscemodi verbis ammonitus sum. In monasterio S. Galli, cellâ quadam in montibus constructa, scias quamdam virginem DEI consecratam in eius seruitio fideliter perdurantem: Ad hanc fidelem legatum ista mandata portantem dirigas: Una quæq; arbor siue fructuosa, siue infructuosa, dum viuâ terrâ radix tegitur, in viriditate poterit permanere, & fructibus, vel frondibus se obducere: at si terram, qua foueat, abesse contingat, nudatâ radice, necesse est vt arbor arescat. Quapropter à DEO ammonita parcas tibi aliquid de nimia abstinentia, quatinus aridum corpus plus aliquid solito reficiens eius seruitio, & laudibus plenius insistere præualeas. Magnam sane ostendis, Alarice, Virginis parsimoniam cum Deum prædicas huic allegasse temperantiam. Nam labores Paulli, regiratio Laurentij ostendunt eum posse pati electos suos multum probari. Sed & tibi non desunt testes, & bis refici iussus Propheta sub iunipero, & turba Dominum triduo sustinens: postremo vniuersitas cui educitur panis de terra, ne ei in itinere huius vitæ desint viatica. Quid si & illud miraculum in testimoniū sumatur? Nosti cum prædictus à te lacus in tantum prouit, vt plurimi dies transirent, quam nauigando eum nullus intrare auderet, & cum tu iam pane fame consumptus ad orationem confugeres, persona quadam apprensens panem, vinumque capiti tuo imminere indicauit, quibus refocillatus conualuisti tuo, frater, arbitrato. Scientia veritatis terret Alaricum huic testimonio refragari, imperfectio meritorum dissuadet eum hæc affirmando prædicare. Tuum est enim potius hæc annunciare maxime cum ad gloriam Vuiborada tua non parum sint respicientia. De Alarico vero suo loco plura. Henricus Cæsar Vormatiensi conuentu Allemanniæ Ducatum tradidit Hermanno Franconiæ, Hessiæ, & Ve-

terouia Comiti prouinciali, Gebhardi filio, Cunradi I. regis patrueli, claræ virtutis, & integritatis principi, illique Regulindam Burcardi viduam copulauit quam dote ad eum Comitatum Verdenbergensem in Rhetia, & multa alia detulisse volunt. Vdo, & Cunradus fratres Franconiam, Hessiam, & Veterouiam, ceteraque paterna tenuere. Agebat iam secundum annum in Mediomatricum Episcopatu BENNO sed sanctius, & seuerius quam dissoluti eorum mores patiebantur. Itaque non minus odium, quam cui successerat, incurrit. Neque sic tamen cessabat frequenti concione, & sermonibus scelera eorum palam, priuatimque redarguere, totusque in eo erat, vitæ, & factorum aliam rationem vti induerent, dignosque pœnitentiâ fructus proferrent. Mouit haut paucos. Reliqui maximè qui ab nobilitate, & opibus, & ex vtroque licentiâ modestiam, & metum exuerant, irâ, & furore, vecordiaque, concitato tumultu, in eum, anno sequenti, impetum faciunt, vinculisque, & catenis onerato oculos, ne vltra eorum improba facinora intueri, & inde improperequiret, perfodiunt, sedeque, & vrbe proturbant. De BENNONE, quæ diximus, ignorauerit, an vltro & tacite omiserit Hermannus Contractus non adfirmauerim, subnotauit, super antiquissima Heremi nostræ scripta manu, in paucis qui ad Reginonis chronicon supplementum addidit. *Eodem, inquit, Anno, 925. Vitgerus Episcopus obijt, cui Benno ex ordinarijs Strasburgensibus in alpibus quondam heremiticam vitam ducens, successor eligitur. Mox, Anno Dominicæ incarnationis, 927. Benno, qui Benedictus episcopus dicitur, à Metensibus excoecatur, & Synodo apud Duisburgenses habito, omnes eius facti auctores excommunicantur, & Adelbero nobilis pro eo Episcopus instituitur. Meminit & Frodoardus, Benno, inquit, Metensis Episcopus insidiis appetitus, euiratus, luminibusque priuatus est. Sed Heinricus quoque Cæsar, misso milite, de facinorosis graues pœnas, et meritas sumi voluit, pluresque impietatis eius comperptos capite damnauit, seuerum se iudicem, et tanti sceleris vindicem præbuit. BENNO tantâ injuriâ, et calamitate ani-*

mo haut

mo haut quaquam destitutus, rursus in Heremum quam ægrè deseruerat, quam semper pectore infixam circumtulera per-
 duci se curauit, quamuis Mediomatricum pars maior, et me-
 lior utroque ex ordine vehementer ne se, tamquam orphanos,
 benignus pater derelinqueret deprecarentur, in eaque, insigni
 innocentia, patientiaque quidquid fuit vitæ reliquum per-
 egit. Augiæ, eodem anno, factus abbas Luithardus, et an-
 no nongentesimo vicesimo nono Ioanni successit Leo VI.
 mox Stephanus VII. Et si verò, uti retulimus, primus apud
 Heremum socios Benno habuit, quæque ad cultum, quæque
 ad victum, suis, amicorumque, & fautorum opibus curauit,
 longe tamen EBERHARDVS illustrator, & conditor Princeps
 habitus. Eius aduentus in Heremum annum notauit cum
 curâ Cōtractus. *Anno nongentesimo tricesimo quarto Eberhar-*
duſ Argentinenſis Præpoſitus primus incola Cella MEGINRADI
venit, quo tempore, Conſtantia Nothingo Epifcopo defun-
cto, Cunradus genere, & vitâ præ nobilis præſul ordi-
natus quadraginta unum per annos illam nobi-
liter rexit Eccleſiam, eodem
 ſcriptore teſte.

A. D. N.

CCIO.
XXIX.

A. D. N.

CCIO.
XXXI.

A. D. N.

CCIO.
XXXIV.